

rūm, sunt herbæ temperatè calidæ, ut carduus benedictus, cum reliquis carduis ferè omnibus, absinthium, majorana, abrotanum, melissa, restabovis, urtica, flammula, petroselinum, rosmarinus, &c. aliae; de frigidis non item hoc intelligendum. Quamvis & multum situm sit in operatione: nisi enim succus ritè ad melleam consistentiam sine empyreumate coctus, ac præterea in locum frigidissimum positus fuerit, nibil aut parum salis generabitur. Deinde quod hæc salia, hoc modo extracta, reliqua salia per calcinationem facta, tam virtute, quam sapore, superent, mirum non est. Integritas enim salis volatilis, in qua essentialis potestas latet, salva manet; nec potest fieri, quin etiam ex sulphure, & liquore mercuriali, cæteris, cœn sui compositi principiis, aliquid sibi attribuāt, quibus alioquin, si calcinando provenisset, carere debuissent.

Hujusmodi sales, ut & reliqua principia, licet summis & elegantissimis virtutibus praedita sint: non tamen carent suis incommodis, ut quidam præstantissimi viri observarunt. Salia enim arrodunt & extimulant: spiritus caput petunt: olea ventriculum conviscant, & adhærent. Unde nonnulli commoti sunt, illa Philosophicè conjungere, & ex combinatione herum trium primorum corporum lapillū quo-

Z S danc